

Sammlb. 50

Zur
Gräfl. vom Hagen'schen
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN
gehörig.

N^o 1399



DISSERTATIO IVRIS CIVILIS,
QVA,
CONTROVERSIA INTER TESTAMENTARIUM
ET LEGITIMUM HEREDEM ORTA,
EAQUE TRANSACTIONE SOPITA,
QUEM CREDITORES CONVENIRE
POSSINT,

AD L. XIV. D.

DE
TRANSACTIONIBVS

ANNUNTE DEO

PUBLICE DISQUIRUNT

PRAESES

FRIDERICVS GOTHOFR.

I. A. F. SCHLEGTENDAL

IVR. D. ET P. P. O.

ET

DEFENDENS

IOANN. ADAM. LEONARD.


VON DE WALL

VESALIA-CLIVENSIS

DIE

M. AVGVST. A. MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.



DVIBVIRGI AD RHENVM

TYPIS FRANC. ADOLPH. BENTHON, ACAD. TYPOGR.

D I S S E R T A T I O N I S C I V I L I S
C O N T R A H I C T U S I N P A R T E P R I M A
I N P R O P O S I T I O N E H A B E N T I S
A T Q U E I N P A R T E S E C U N D A
O M N I U M C R E D I T O R U M C O N T R A H I C T U S
C O N T R A H I C T U S
A D A L I X I N D E
P R A E S A C T I O N I B U S
P R A E S I D I I
R I C H A R D I C O T T O R I
I A T S C H U B E R G I A D A L
I N D E
D E P R I M I S
I O A N N E A D A M F R E S T E R
V O N D E W I L D
I N A G G R E G A T I O N E
M A G I S T R I M A G I S T R I M A G I S T R I
H A B E N T I S
I N P R O P O S I T I O N E H A B E N T I S
C O N T R A H I C T U S I N P A R T E P R I M A



VIRO
AMPLISSIMO ET CELEBERRIMO;
DOMINO
ARNOLDO LEONARDO
DAEMS,
POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE
A CONSILIIIS AVLICIS,
QVONDAM IN GYMNASIO HAMMONENSI
PROFESSORI IVRIS ORDINARIO
MERITISSIMO,
PATRVO AC FAVTORI
AD CINERES VSQVE COLENDO

Haece studiorum suorum
primitias

Intima cum animi reueren-
tia & obsequio

D. D. D.
IO. AD. LEON. VON DE WALL.




VIRO
KAMPFISIMO ET CELEBRISIMO
DOMINO
ARNOLDO LEONARDO
DAEMS,
TOTENTISSIMO REGI BORUSSIAE
A CONSILII AVULSIS
QUONDAM IN GYMNASIO HARMONIAE
PROFESSORI IVRIS ORDINARIO
MINISTRIO,
PATERNO AG. PATRONO
AD EMERITVS VSOVE COELENDO

Habeo hunc librum
quodammodo

In fine cum solis
in 2. ed. 1812

D. D. 1812
IO. AD. LEON. VON DE WALL





DISQUISITIO
IURIS CIVILIS
AD L. XIV. D.
DE
TRANSACTIONIBUS.



§. I.



Transactionem definimus pactum sive conventionem partium litigantium de lite decidenda non gratuitam. Dicimus illam esse pacti speciem, non ergo ipsam litis decisionem conventionem initam. Uti enim nusquam pactum à transactione tanquam aliud quid separatur; ita potius tum usus vocabuli, tum tituli hujus ordo, tum illa, quæ in *L. I. D. b. t.* occurrunt, inter pactum litis remissorium et transactionem differentia maxime evincunt nostræ sententiæ veritatem. Initur vero hæc conventio inter partes litigantes: alii enim frustra litem aliorum pacto deciderent. Agitur in hac conventionem de lite decidenda. Lis vero hic omnem causam tantum ali-

A

quo

quo modo dubiam notat, ita vt etiam timor futurae litis sufficiat in *L. II. C. de transact.* nam etiam hic incertus futuri iudicii eventus est. Tandem transactionem non gratuitam esse, sed secundum *L. XXXVIII. C. eod.* dato aliquo, re- tento vel promisso interponi oportet; & in duobus postre- mis requisitis à pacto litem remittente in *L. I. D. de transact.* distinguitur.

§. II.

Effectus transactionis facili negotio ex definitione colligi- mus. Si scil. valide fit inita, lis per illam finitur; quod ta- men non semper eodem modo contingit sed varijs, provti aut stipulatione praesertim Aquiliana adiecta, aut iurato, aut contractu innominato vel nudo etiam pacto inita fuerit. Ne- que vero animus est has differentias hic latius explicare, sed potius secundum scopum dissertationis huius examinare, inter quas personas transactio effectum exferat. Hic ergo notan- dum, quod inter solas personas litigantes controversiae finem faciat; aliis vero neque profit, neque etiam obsit. Se- quitur in eo naturam pacti, quod etiam alijs quam pacifcen- tibus non prodest; quia secundum *L. XXXVIII. §. 17. D. de verb. oblig. ad id inuentae sunt huiusmodi obligationes, vt quisque sibi adquirat, quod sua interest.* Nocere vero secun- dum regulas iuris et aequitatis, cuique suum quidem factum, non vero alterius poterat; adeo vt ne iis quidem in casibus vbi leges extra ordinem ac per fictiones alteri ex alterius con- ventione obligationem adquirunt, illum ex simili causa obli- gari patiantur: quia alterius conditio per alium melior qui- dem, at non deterior fieri potest. Neque haec principia in transactionibus exceptionem patiuntur; quia etli publice expedit, litium finem esse, quod per transactiones prae caete- ris obtinetur, id tamen sine cuiusquam iniuria fieri oportet.

§. III.

Quamvis vero omnia haec satis certa sint: fieri tamen pot- est, vt de adplicatione harum regularum in singulari aliqua specie dubitetur. Finge, litem inter se super hereditate or- tam heres testamentarius et legitimus transactione decidunt.

Certum

Certum est, illos solos, qui transegere, ex transactione obligari; non autem alios, v. c. legatarios et creditores, qui transactioni non accesserunt. Quaeritur ergo, a quibus hi id, quod ipsis debetur, petere possint? Agitat et decidit eam quaestionem Scaeuola in *L. III. pr.* et *L. XIV. D. de transact.* sed ita vt plurimis per contrarios hosce textus difficultas aucta potius quam sublata videatur. Operae pretium itaque erit, hanc quaestionem paulo adcuratius considerare, & videre, num compilatores Digestorum a culpa tam supinae negligentiae, & Scaeuola a suspicione, gratiae eum quid dedisse, qua alii eum arguunt, absolui queat.

§. IV.

Illud igitur erit hac Dissertatione explicandum, a quo legatarii & creditores id, quod ipsis debetur, petere possint; si heres testamento scriptus & legitimus transegerint super hereditate. Et primo quidem facile patet, distinguendum esse; vtrum creditores vel legatarii transactioni accesserint, an secus. Sin prius; transactioni stare debent, secundum ea quae tradit noster Scaeuola in *L. XIV.* verbis: *si iidem creditores essent, qui transactionem fecissent.* Quibus in Accursii & Haloandri editionibus additur, *id obseruandum esse de aere alieno, quod inter eos conuenisset:* vid. *Noodt. Probab. Lib. II. cap. 2.* Conuentio autem haec vel expressa est, de qua nihil addimus; vel tacita eo solo inita, quod transactionem adprobarunt. In hac specie vero censetur eos heredes agnouisse, qui in transactione pro heredibus habiti fuere. Hinc colligimus, legatarios solum heredem scriptum pro rata portionis eius, quam ex transactione accepit, conuenire posse. Legitimus enim si vel totam hereditatem accepisset; nihilominus ad legata soluenda obligatus non fuisset: dum vero heredi testamentario parte hereditatis cessit, censetur in reliqua sibi ius succedendi ex lege eo certius reddere voluisse; qualem scilicet legitimum heredem, eum etiam legatarii transactioni accedentes hoc ipso facto agnouerunt. Iniquum vero etiam foret, si ab herede scripto solidum peterent. Concesserunt enim huic, vt partem hereditatis in legitimum transferret;

A 2

neque

neque tamen ipsis vlla in parte plus iuris ac heredi competit, immo potius dicendum est, legata ipsis relicta ab heredis institutione dependere. Ex eadem vero ratione partem legati sibi relicti ab herede instituto iure petent. Vti enim iis non plus, ita neque minus iuris tribuendum est ac heredi, unde ex qua parte ipse hereditatem retinuit, pro ea etiam legata solvere debet. Haec de legatariis. Reliqui creditores singulos heredes pro parte in transactione illis attributa convenire poterunt et debebunt. Creditores enim dum transactionem adprobarunt, eo ipso promiserunt, se velle singulos pro partibus transigendo inter heredes expressis convenire: heredes vero, dum creditores transactioni adhibuere, se ad debita ex his partibus exsoluenda obligarunt. Eadem vero etiam est causa legatariorum, qui ab utroque herede legata petere possunt; quo praecipue pertinet species *Nov. CXV. cap. 3. 4.* Caetera actionibus vtilibus non directis hic agendum esse vel ex eo liquet, quod hic non contra veros heredes, sed aduersus illos, qui pro heredibus se conueniri voluerunt, actiones instituantur.

§. V.

Si vero creditores transactioni non accesserint, ea ipsis neque prodesse neque obesse poterit. Debent igitur hi verum heredem convenire. Transigentes autem ex transactione convenire neque possunt, neque etiam tenentur. Quoniam vero contra heredem solum agere possunt, probare certe debent, illum contra quem in solidum actiones instituant, heredem esse. Hoc enim probato demum sublatum est illud *INCERTUM SUCCESSIONIS*, ob quod Scaeuola in *L. XIX.* negat alterutrum in solidum conueniri posse. Vnde ex mente ipsius *ICTI* colligimus, cessante hac ratione etiam ipsam Scaeuolae decisionem non obtinere. Qui ergo heres esse probatur omnino in solidum conueniendus est. Neque certe eum transactio cum altero, cui parte hereditatis cessit, inita liberare poterit. *Imperatores Antoninus et Verus* enim *ita* *descripserunt*, *priuatim pactioibus non dubium est, non laedi ius caeterorum* secundum *L. III. pr. D. h.* Transigendo itaque bona
here-

hereditaria quidem a se abalienare potuit; at non etiam diminuere ius creditorum, qui in transactionem non consenserunt. Non enim potest contingere, ut is, qui semel heres ex asse existit, siue in solidum, siue quod eandem rationem habet, pro parte designat heres esse secundum *L. XXXVIII. D. de hered. instit.* Et cum ipsi inuito hereditatis commoda a creditoribus auferri non potuerint; inique postulabit, ut ab oneribus eius inuitis illis liberetur. Quin tantum abest, ut partem hereditatis omittere in praedudicium creditorum queat; ut potius is, qui ex parte sola hereditatem adiit, aliquando etiam inuitus et ipso iure heres existat in solidum, per ea quae traduntur in *L. XXXV. pr. L. LIII. §. 1. D. de adquir. vel omitt. hered.* Immo alias etiam hoc nostro casu contingeret, ut eidem et testato et ab intestato succederetur; inter quae tamen ICtus Romanis naturalis pugna esse videbatur. Haec omnia euincunt, idem locum habiturum esse, etsi heres integra hereditate cesserit: quod exemplo fiduciarii restituentis ex §. 3. 4. *Inst. de fideicom. hered.* constat.

§. VI.

Neque tamen haec ita accipi velim, ac si verus heres de suo ultra ratam portionis ipsi relictæ creditoribus debeat satisfacere. Vti enim ipse creditoribus soluere tenetur; ita illius quod soluit, aduersus eum cui partem hereditatis concessit, pro rata huius partis habet persecutionem. Aequum enim et regulis iuris conueniens erat, ut qui partem hereditatis tenet, pro eadem etiam onera illius ferat; quia haec ad hereditatis ipsius substantiam pertinent, omnesque illi qui hereditatem quocumque demum titulo tanquam heredes tenent, ad debita soluenda sunt obligati; quippe quae etiam ille, pro quo sententia iudicis pronuntiatum fuerat, ferre debuisset. Eo minus ergo iniquum est, verum heredem creditoribus in solidum teneri; quia si hic forte alteri fidem non haberet; ab eo ut sibi vel creditoribus idonee cauere, aut debita statim soluerentur, exigere potuisset, vel alias conventiones etiam cum creditoribus inire; quod dum non fecit, damnum omne

sibi suaeque imprudentiae imputet. Non tamen hanc repetitionem alii quam vero heredi absolute concedi, ex illis, quae in fine §. VI. dicenda sunt, patebit.

§. VII.

Illam autem quae praeced. §. monuimus, non in omnibus creditoribus obtineat, sed in iis exceptionem patiuntur, qui ab alterutro herede, id quod sibi debetur petere non possunt; intellige legatarios: de his enim in fine *pr. L. III. D. b.* affirmatur, *quod quidquid ex testamento petunt, scriptum heredem conuenire debeant, qui in transactione hereditatis, aut cavit sibi pro oneribus hereditariis, aut si non cavit, non debet suam negligentiam ad alienam iniuriam referre.* Ex hac *L.* ergo colligimus 1) legatarios heredem scriptum solum conuenire posse in solidum 2) hunc illius quod soluit partem ab herede legitimo non posse repetere. Non igitur legitimum sed scriptum heredem solum, eumque in solidum conuenire debent legatarii, intellige si eum heredem esse probauerint; alias enim eum conuenire non poterunt. Nam legatariis non ideo quod partem bonorum testatoris possidet, sed quia heres ex testamento est, obligatur. Hoc ergo legatarii tanquam fundamentum suae actionis probare tenentur. Nam partem hereditatis alias non ex testamento sed ex transactione possidet; haec vero secundum nostram *L. III.* legatariis non nocere quidem, sed nec prodesse poterat: uti itaque ante transactionem, ita et nunc post illam hoc probare debebunt. Neque contrarium in saepius al. *L. III.* affirmatur. Et si enim ibi nulla probationis eius fiat mentio, eo ipso tamen, quod scriptus heredes adpellatur, supponitur illum talem re vera esse, de quo etiam in specie huius *L.* eo minus dubitari poterat, quia nullum aliud vitium nisi inofficiosi testamento opponebatur; unde facillima erat probatio, testamentum esse validum, quia inofficiosum per solam sententiam iudicis viribus suis priuari potest.

§. VIII.

§. VIII.

Vti vero solus heres scriptus, non legitimus conueniri potest; ita neque ille aduersus hunc nomine illius, quod soluit, vllam habet actionem. Ita iterum expressis verbis dicitur in *pr. L. III.* Ait enim ibi Scaeuola in fine: *Qui, nempe scriptus heres, in transactione hereditatis aut cauit sibi pro oneribus hereditariis; aut si non cauit, non debet negligentiam suam ad alienam iniuriam referre.* Conuenit autem id quam maxime principiis iuris nostri. Heres enim legitimus non ex testamento hereditatem adiit, adeoque illi etiam satisfacere non tenebitur. Neque enim ad id ex transactione, nisi specialiter contrarium conuenerit, obligatus erit, qui non aliud ea egit, quam quod partem hereditatis in heredem scriptum transtulerit: Nouis autem oneribus praeterea se subicere voluisse non censetur, cum iuris nostri abalienationes quam strictissime sint interpretandae. Ita de iure antiquo fere sine exceptione dicendum. Iure nouo excipimus speciem *Nov. I. cap. 3. 4.* Cum enim per eam ipse etiam heres legitimus hereditatem adiens rescisso testamento ad legata soluenda obligetur; et sic ratio antea allegata cesset; adparet, heredem legitimum aequae ad legatorum ac aliorum onerum communium restitutionem pro parte obligari. Alii vero idem indistincte adfirmant, etiamsi ob aliud vitium lis super validitate testamenti orta fuerit; idque ob decisionem *Nov. I. cap. 1.* Quo vti aiunt nonnulli, non solum legatariis et fideicommissariis conceditur facultas adeundi hereditatem, sed et ipsi heredi legitimo adeunti necessitas parendi testamento imponitur. Et si vero alii hoc de ea sola specie intelligant, qua heres scriptus iam adiit hereditatem, eo tamen effugio vti non est necesse; quod enim contendunt, quia ipsi legatarii prae herede legitimo ad hereditatem admittuntur, aequum videri, legitimum scripto heredi, qui aditione sua in ipsum partem hereditatis contulit, etiam partem legatorum restituere: non aliter obtinet, quam si testamentum iure perfectum fuerit. At hoc ipsum antea aduersus heredem scriptum negauerat legitimus, neque etiam illud transigendo agnouerat: vnde ipsi scripto heredi legatorum nomine ob-

liga-

ligatus non est. At legatariis licet secundum hanc hypothesin, si testamentum validum esse probauerint; (alias enim nihil iuris habent) et scriptus heres illi non satisfaciat, neque ipsis simpliciter ad solutionem agere vtile videatur; non solum scripto heredi sed legitimo partem suam auferre. Neque vero legitimus hoc casu de herede scripto queri, aut contra illum agere poterit; neque enim hic illi ullam securitatem ratione partis suae promiserat, et legitimo aduersus legatarios se defendere integrum erat. Constat igitur, heredem scriptum qui legata soluit, nullam eo nomine aduersus legitimum habere actionem: ipsi vero licere, aut legata soluere, aut forte moram committendo efficere, ut legitimo etiam vltior quaestio a legatariis moueri queat. Vterque igitur vt sibi prospiciat, vtiliter legitimus scripto aliquid legatorum nomine promittet, ipsumque ad praestanda legata obligabit. Nam sic neque scriptus omnia ex propriis solvere tenetur, et legitimus id lucri obtinebit, ut certus sit, sibi non amplius de hereditate quaestionem moueri posse.

§. IX.

Omnia vero haec remedia tunc tantum creditoribus conceduntur, si heredem esse illum quem conueniunt, probauerint. Haec vero probatio non semper adeo facilis est, vid. *L. II. III. D. de interr. in iur. L. XX. pr. D. de acquir. vel omitt. hered.* Primo enim probari debet hereditatem alicui esse delatam, quia acquiri non potest hereditas, quae delata non est, etsi vel maxime adita fuerit, vid. *L. XXII. inf. D. de acquir. hered.* Vnde ostendendum, vel testamentum legitimum adesse, vel heredem per leges ad hereditatem vocari. Etsi vero cl. Voetio in *Comm. ad Pand. Tit. de hered. Pet. n. 4. §.* concedamus, heredem necesse non habere, vt probeat testamentum non esse vitiosum, vel se esse ab intestato proximum; adeoque forsan ab hoc onere ex eadem ratione etiam liberentur creditores: minimum tamen cum herede super his omnibus disputandum erit, quae disputatio saepius non minimas difficultates parere potest. Praeterea vero creditores probare debent hereditatem esse aditam; neque enim sola possessio bonorum defuncti aliquem heredem efficit.

cit. Potest enim ea alieno nomine possidere. At eum qui alieno nomine hereditatem possidet, creditoribus non teneri exemplo emtoris docet *L. II. C. de pact. L. II. C. de hered vel. act. vend.* Potest vero praeterea etiam quis suo nomine neque tamen titulo heredis bona illa possidere. Vnde adparet, creditorem tum hereditatem reuera delatam, tum etiam aditam fuisse probare, aut saltem se aduersus reum exceptiones suas in contrarium opponentem defendere debere: quod si non difficile videatur, minimum creditoris petitionem diu frustrari poterit. Etsi vero hoc onus probandi semper creditoribus hereditariis incumbat, plerumque tamen super ea re non litigatur. In nostra vero specie tum controversia super hereditate, tum transactio qua vterque quodammodo pro herede gessisse, et contra, videri poterat, difficultatem augebant; quae tamen reuera non ex transactione, quippe quam creditoribus nocere neque aequitas nec leges sinunt, sed ex dubio iure delatae atque aditae hereditatis oritur.

§. X.

Ne itaque difficultatibus hisce illigentur creditores; videndum, an non alio modo, si hoc probationis onus subire nolint, eis subueniri queat. Vt vero de hac re magis constet, variae species a se inuicem separandae erunt. Et quidem aut transigentes conuenti possessioni suae titulum et nomen heredis praetendunt, aut non. Sin posterius; adparet illos conueniri non posse. Quo enim titulo contra eos ageretur; qui neque ipsi debitores, neque etiam debitoris heredes sunt? At alio modo leges hic subueniunt creditoribus; quod etiam ipsa aequitas postulabat, quae hos possessores ita cum damno creditorum locupletiores fieri non patiebatur. Ne igitur prorsus debito excidant, si nemo alius defuncti heres existat: concessum est creditoribus, ut mitti se in bona defuncti creditoris sui petant; illisque aut curator constituatur, aut ea ipsis addicantur, aut vendantur. vid. *L. I. D. de curat. bon. dando L. VIII. D. quib. ex caus. in possess. L. V. VI. C. de bon. auct. iudic. possid.* Quia etsi nemo defuncto heres existat, creditoribus tamen nihilominus ex bonis defuncti de-

B

bet

bet satisfieri. Iam ergo si bona illa hereditaria esse, possint ostendere; neque transigentes iustum alium titulum, quo bona possident, probare queant: dubitari haud potest, quin creditores, qui ex hac missione ius in re fuerunt consecuti, contra possessores hos nullo idoneo titulo gaudentes remediis Praetoriis instructi sint, et bona haec ab ipsis possint repetere; maxime quum ipsi etiam lucratiui possessores quamuis dolum initio non admiserint, ad bona ab ipso debitore obae rato in eos dolo malo quidem at legitime tamen et iusto titulo translata restituenda creditoribus per actionem Paulianam sint obligati, licet illa tanquam extraordinarium remedium huic nostrae speciei non conveniat.

§. XI.

Ita obtinet, si transigentes prorsus negent se heredes esse. Si vero transigentes adfirmant se heredes esse; aut confitentur singuli, se in solidum heredes esse; aut pro parte sola. Illic nulla probatione opus est, verum potius est in arbitrio creditorum, quem convenire velint. Et si vero hoc rarius expresse confiteantur: facilius tamen contingit, ut idem per consequentiam faciant, et sic in solidum conveniri queant. Finge testamentarium ex asse institutum confiteri, se ex parte esse heredem, et sic adiisse hereditatem; eundem vero simul fateri testamentum esse validum: quisque animadvertet, eum confessum esse, se adiisse hereditatem ex testamento valido. Quum itaque nemo ipsi ex testamento coheres existat; in paganis vero heres legitimus cum testamentario concurrere nequeat; adparet ipsum ex confessione sua in solidum heredem esse. Idem in legitimo herede obtinebit; si ille, se solum ex lege adiisse, et testamentum non valere contendat, ob eandem iuris regulam, quam statim allegauimus. Neque vero illos a solidi solvendi necessitate liberabit, si ostenderint, se falsa confessos esse; sibi enim imputent: ac sufficit id solum, illos confessos esse, vid. *L. XI. §. 2. D. de interrog. in iur.* Nisi tamen iusto et probabili facti errore ducti, falsa responderint; quo casu aequitas postulat, illos non ultra rei veritatem obligari, conf. all. *L. XI. §. 3. inf. et. §. 2.*

§. XIII.

§. XII.

Si vero neque verbis neque re ipsa aliud confiteantur transigentes, quam se ex parte heredes esse, in solidum conveniri non possunt. Illud vero aliter facere non possunt in speciebus propositis, quam si institutus testamentum non valere, aut legitimus e contrario illud validum esse asserat. At hoc modo etiam patet, vtrumque sibi ipsi contradixisse. Quomodo enim institutus asserere poterit, se heredem esse, cum hereditas ipsi delata non fuerit? Hoc autem ipse asserit, quia ex testamento iniusto hereditas nemini deferri potest. Neque aliud ergo de legitimo dicendum, si ille hereditatem ex testamento valido aditam, et se simul ab intestato heredem esse contendat. Vterque ergo simul confitetur, et se heredem esse ex parte, et se prorsus non esse heredem. Colligimus vero ex *L. XI. §. 1. D. de interrog. in iure*, vtramque confessionem effectui non destitui. Cur enim destitueretur illo; cum etsi vtraque falsa sit; sibi tamen imputare debeat alter, quod vera non dixerit. Nisi quod intuitu erroris iusti probabilis idem quod §. praeced. dicendum videatur.

§. XIII.

Neque tamen creditores ex vtraque confessione simul agere poterint. Nec enim hoc rei natura patitur, cum sic etiam sibi ipsi contradicerent. Eligere ergo debebunt alterutram: et si quidem eum tanquam heredem considerare nolint; iure petunt, se mitti in possessionem bonorum, atque ita bona heredi huic falso auferre poterunt; omniaque ea obtinent, quae §. 10. monuimus. Si vero velint eum tanquam ex parte heredem conuenire: etiam hoc ipsis permissum erit, et pro parte hereditaria debitis satisfacere ex confessione sua renetur: non vero in solidum, quia sic creditores prius probare debuissent, illum in solidum heredem esse; quod eos non fecisse al. §. 10. supposuimus. Poterit tamen hic contingere, vt idem postea adhuc in solidum conveniatur; si fingas neminem ipsi coheredem existere; tum enim si id probatum fuerit; scil. aut alii nulli hereditatem delatam esse, aut eum

non adiisse, necessario alter, qui nunc ex asse heres est, in solidum creditoribus respondere debet. Si vero illud non fecerint creditores; nullo fundamento actionem in solidum instituent.

§. XIV.

Ita quantum fieri potuit, sollicitè species omnes, quae hic obuenire possunt separavimus, ut quaestio nostra eo maiore luce illustretur. At quid si aut ipse heres conuentus in tantum titulum et causam suam explicare nolit, aut etiam ipsi creditores, ut eo celerius suum consequantur, in illam non inquirant? Breuiter ita tenendum; si conueniatur tanquam heres in solidum, aut nihil opponit et sic tacite confitetur se heredem esse, aut obmouet se ex parte heredem esse, aut véro prorsus negat se heredem esse. Aliud certe facere non poterit: in omnibus vero his facilis est decisio, utpote quae iam in antecedentibus continetur. In prima enim in solidum conuenitur secundum §. 11. in secunda pro parte, in postrema nullo modo tenetur secundum §. 12. 13. atque in hac ultima licebit creditoribus in possessionem missis haec bona, si defuncti ea fuisse ostenderint, possessori auferre, vid. §. 10. Si vero neutro horum contenti sint, probationis onus subire debebunt secundum §. 5.

Decidimus ergo, ni fallor, quaestionem nostram; TRANSACTIONE INTER TESTAMENTARIUM ET LEGITIMUM HEREDEM INTERPOSITA, QUEM CREDITORES CONUENIRE POSSINT, AC DEBEANT; ostendimusque transactionem solam eis neque commodum neque praepiudicium inferre conuenienter *L. III. pr. D. de transact.* At quid, ais, non ita decidit idem Scaeuola in *L. XIV. D. eod.*? ibi enim simpliciter asserit, quemlibet transigentium pro parte conueniendum esse? sed salua res est, et defendi poterit haec Scaeuolae sententia, modo simul circumstantias illius omnes adcurate consideremus.

§. XV.

Nempe hoc Scaeuolae responsum creditoribus non transigentibus est datum. Querit enim Ictus, quem creditores con-

conuenire possint, non vero quem conuenire debeant; ubi tamen magis ad utilitatem eorum quam ad ius absolutum, ficuti consulentem decet, respicit, usque hunc in finem consilium dare voluit. Amplius vel ex natura responsi patet, illud ad singularem speciem esse conceptum; praetereaque notandum, quod noster, uti vel ex hoc eius fragmento adparet, concisi et laconici styli plus iusto fuerit studiosus. Conf. ea, quae habet vir summus Ger. Noodt. *Probab. L. IV. cap. 2.* Ex his igitur colligimus, oportere, nonnulla ratione facti supponi; quae et plerumque ita se habere solent, et Iurisperitus ex ipsa rei natura poterat colligere: scil. tum quod transigentes non negent se ex parte heredes esse; tum quod creditores aliquem eorum in solidum heredem existere aut facile probare nequeant, aut sibi hoc non conducere iudicent. Posterius autem vel ideo supponere poterat, quia et haec probatio heredis saepius difficilis est secundum ante monita, ac nihil creditorum interest probasse, si ambo, vel is qui vere heres non est, soluendo sint: illo solo casu excepto, si tantum verus heres soluendo sit; quod aliquando quidem, saepius autem accidere non solet. Hic enim utique creditorum interest, delatam ab illo hereditatem probare. Prius autem, scil. transigentes concessuros, se pro parte heredes esse, Iuris facile supponere poterat; cum negantes plerumque nullo lucro sed tantum damno augeantur, ipsisque aut, si neuter transigentium heres sit, hereditas auferatur; aut etiam in solidum conueniantur, si soli heredes sint; si autem heredes non sint ipsi, sed alter quocum transegere, saltem pro parte sua vero heredi id quod soluit, teneantur restituere. Vnde non alio casu transigentes illud negaturos, videtur verosimile, quam si neuter sit verus heres, et praeterea hereditas non sit soluendo: quod ita facile accidere non poterit.

§. XVI.

Restat, ut ostendamus, re vera, his suppositis, nihil magis creditoribus esse utile, quam utrumque transigentem pro parte conuenire. Quaeritur enim cur Scaeuola illis potius id consilii dederit, quam ut utriusque bona hereditaria auferant, quod ipsis licere ostendimus §. 12. 13. Ratio illa est,

B 3

quod

quod hoc postremum plurimis quidem ipsos difficultatibus implicaret, sed ne minimum quidem commodum adferret, adeoque tanquam vltimum subsidium merito in id reseruandum esset, si nemo se heredem confiteri vellet. Absterrere enim ipsos ab eligendo hoc remedio debebit, quod in possessionem bonorum mitti non possint, nisi ostenderint, neminem defuncti heredem esse, et bona illa quae petunt, vere esse hereditaria, quibus accedit totius hereditatis curandae et administrandae molestia. Neque tamen ex omni hoc onere vel minimum lucri capiunt. Si enim soluendo est hereditas, nihil amplius capiunt, quam quod ipsis debetur; nihil enim amplius iuris illis in hisce bonis competit; superfluum ergo vel a vero herede forsitan superueniente aut a fisco saltim illis auferri poterit, quippe qui bona vacantia omnia sibi vindicat. Idem vero semper consequi poterunt, possessorem pro rata bonorum possessorum conueniendo. Si enim illius personae fidem non habeant, etiam hic statim sine vlla difficultate separationem bonorum impetrare et sic consequi poterunt, vt sibi ex iis satisfiat. Si vero hereditas soluendo non sit, neque ex bonis hereditariis possessis debita consequi poterunt: Quin si hoc casu personae transigentes soluendo sint, liquido patet, vtilius esse, illos conuenire. Adparet igitur, Scaeuolam optimum et legibus conueniens consilium dedisse creditoribus, et sic optima ratione illud defendi posse; de quo si idem iudici consulenti respondisset, aliud dicendum foret.

§. XVII.

Vtiles vero actiones non directae conceduntur; quia reuera hic non contra heredes, sed contra transigentes, qui se conueniri patiuntur, agitur. Tum vero vtilis actiones ad similitudinem directarum concedi, docet simile exemplum emtoris hereditatis, qui se conueniri patitur a creditoribus, in *L. II. C. de pact.* et *L. II. C. de hered. vel. act. vend.*

Atque ita ni fallor defendimus Scaeuolae responsum. Ad dimus vero, iisdem vestigiis fere inaccessisse V. C. P. de Toulieu in *Collectan. Dissert. IV. cap. 5. inf.* etsi ipsam quaestionem principalem, qua haec sententia nititur, late adeo non explicauerit, ipsique prior eo capite prolata sententia magis placere

placere videatur. Restant nonnullae obiectiones, et explanationes aliorum examinandae ac soluendae: ex quo simul rationes videbimus cur haec sententia reliquis sit praeferenda. Sunt autem tres sententiae ab hac diversae 1) quod transigentes qua tales simpliciter pro rata sint obligati, quae est Accursii sententia. 2) Quod illi nullo modo, sed semper verus heres teneatur directo contra Saeuolae responsum, quod asserit vir summus, quem honoris causa nomino, G. Noodt. 3) Quod transigentes non quidem teneantur ex regulis iuris sed tantum ex aequitate; quae est altera sententia supra laudati de Tollieu al. L.

§. XVIII.

Primo itaque examinanda est sententia Accursii, qui in *Glossa ad L. XIV.* multus in eo est, ut hanc *L. XIV.* cum *L. III. pr. D. eod.* conciliaret, quarum pugnam ipse, quantum no- uimus, primus detexerat. Tres itaque nobis ibi indicat conciliandi vias; Prima, quam Magnus Cuiacius in *Comment. ad L. III. pr.* probat, distinguit inter legata de quibus *L. III.* et alia debita de quibus *L. XIV.* agit. Altera, quam Vdalr. Zasius in *paratitl. ad b. t. n. 14, operum Tom. 1. p. m. 77.* sequitur, an in transactione penes utrumque pars hereditatis remanserit; an vero alter totam hereditatem retinuerit, et alteri certam pecuniam vel rem dederit, animaduertit. Tertia, quae ipsi Accursio maxime placet, ait interesse, an testamentum per querelam inofficiosi rescindendum, an vero alia ratione vitiosum sit. Verum etsi omnes hae sententiae aliquid veri contineant: remanet tamen semper quaestio illa principalis, an transactio inter litigantes inita fundamentum et regulam actionis a creditore aliquo instituendae constituere possit & debeat; quod omnes hae explanationes intuitu *L. XIV.* supponunt. Contrarium vero luculenter ostendit V. A. G. Noodt *Probab. Lib. II. cap. 2.* vnde illam tractationem hic praetermittimus, idque eo magis cum iam antea ostenderimus secundum principia iuris, quem creditores conuenire possint ac debeant. Etsi enim Accursii conciliationes defendere conatus fuerit v. c. Christfr. Waechtler. *Opusc. ad hunc Noodtii locum p. 228. & seqq.* non tamen, id, quod
et

et Ipse et Accursius intendunt, vtrumque heredem conueniri posse et debere, probare videntur. Quin potius illa, quae ibi solito sibi more eleganter tradit, Noodtii quidem sententiam euertunt, at non ideo Accursium defendunt. 1. sc. ait, non prorsus certum esse, testamentarium in solidum heredem existere, verum inde non sequitur, legitimum pro parte conueniendum esse, vid. §. X. Amplius ex *L. XV. §. 2. L. XIX. L. XXIV. D. de inoff. test.* ostendit quidem, regulam eam, neminem paganum testatum simul et intestatum decedere, aliquando exceptionem pati: sed an ea quae contra regulas iuris in odium querelae placuere, ad alias species, vbi similis ratio non adest, extendere liceat, dubitarem. Praesertim cum a sententia iudicis testamentum quod inofficiosum dicitur, dependeat; et rationes tum iuris tum aequitatis a *V. C.* allegatae secundum §. 22. et 23. admodum incertae videri possunt. Caetera id adhuc notamus, quod pro sententia Accursii proferri posse videatur *L. L. §. 1. D. de Legat. 1.* vbi affirmatur, substitutum, secundum quem iudex contra heredem institutum pronunciauit, a legatariis conueniri posse; & quoniam hic praetextu illo quoque vti poterat, quod vere heres non sit, Jureconsultus tamen ait, eum nihilominus teneri. Videri ergo poterat, quasi etiam transigens simpliciter ex transactione & possessione hereditatis teneretur, etsi praetextat, se heredem non esse; Verum magna est inter vtramque speciem differentia. In *L. L. §. 1.* enim nullo alio quam hoc turpi praetextu, vt se oneribus hereditariis expediret, vtebatur substitutus; per gratiam pro se iudicatum fuisse. At eiusmodi turpi defensione nemini vti conceditur, ne quisquam ex turpitudine sua lucrum capiat. At transigens honeste potest negare, vel saltem dubitare, an heres sit; cum tamen nihilominus partem hereditatis possideat: si quaestio reuera ipsis litigantibus dubia visa fuerit, quam amica transactione potius quam iudicio decidere placuit; idque eo magis, si postea viderit se heredem non esse, et hereditatem quam soluendo non esse deprehendit, creditoribus relinquere paratus sit. Quod ad rem ipsam vero attinet, id solum addimus; transigentem, qui heres non est,
non

non aliter ac emtorem hereditatis considerari posse: Hunc vero inuitum creditoribus non teneri, iam saepius ex *L. II. C. de pact.* et *L. II. C. de hered. vel act. vend.* monuimus. Haec ergo de Accursii opinionibus, quae etsi forte ostendant *L. III. directo L. XIV.* non contradicere, non tamen simul *L. XIV.* cum principiis iuris conciliandae sufficiunt.

§. XIX.

Contrariam itaque sententiam amplexus est Ill. Noodtius *Probab. L. II. cap. 2.* qui cum transigentes ex transactione conueniri non posse, nec debere, summa sibi consueta eruditione ostendisset; inde colligit, Scaeuolam in hoc responso gratiae consalantis quid dedisse, quo ipso compilatores digestorum etiam negligentiae arguuntur. At liceat utrosque defendere. Non videtur enim verosimile, Scaeuolam in liquidas adeo iuris regulas directo impingere voluisse, quod ne colore quidem vilo facere poterat. Neque praefumendum, architectos iuris nostri magna adeo negligentia ea, quae cum principiis iuris pugnant, digestis inseruisse. Si enim subtilior fuisset error, vtrumque facilius credere licuisset, adde ea quae erudite admodum ad hunc locum Noodtii monuit *V. C. Waechter. Opusc. p. 228. 229.* Caetera vt eo facilius hic error Scaeuolae in oculos incurrat, v. a. ostendere conatur, incertam in specie nostrae *L.* non fuisse successionem. Contendit enim, certum esse, testamentarium exsistere heredem, cum ex testamento, quod successionem legitimam praefertur, adierit hereditatem; quam vero semel adiit, illam nullo vnquam facto, ergo nec transactione, omittere deinceps possit; immo is, qui semel heres exstitit, etiam omissa tota hereditate nihilominus heres maneat. Quae omnia vt eo magis confirmentur, allegatur *L. XXIX. §. 2. D. de inoff. testam.* vbi expressis verbis ait Vlpianus, heredem scriptum, et si cum legitimo transegerit, nihilominus heredem, et testamentum in suo iure manere. His addit, quod vitia, quibus in

C

nostra

nostra specie testamentum a legitimo impugnatum fuit, dubia et incerta sint, adeoque secundum ea quae *Probab. L. I. cap. ult.* proposita erant, perinde haberi ac si non existerent.

§. XX.

Si haec ita se habent, conuictus est erroris Ictus, atque aut eius ingenium aut fama periclitatur: praesertim quum eodem argumento etiam legitimum heredem, vti nobis videtur, in solidum conuenire possint creditores. Etenim et is adiit hereditatem: alias enim heredem scriptum conuenire non potuisset. Cum vero is testamenti auctoritatem in dubium vocauerit; ratione eius perinde habetur, ac si testamentum non existeret; hinc testamento hac ratione sublato is ex asse heres ab intestato est, vnde in solidum conueniri potest. Si igitur vterque transigentium in solidum conueniri potest; manifesto creditoribus praecudicium fecit Scaeuola, dum vtrumque pro parte conueniendum respondit. Sed nondum satis probatum videtur, testamentarium heredem in solidum conueniendum esse. Etsi enim concedimus, sicuti hic negari nequit, scriptum heredem adiisse hereditatem, praetereaque nulli dubitamus, legitimum non succedere, vbi ex testamento heres existit: quaeritur tamen an ex testamento hereditas scripto delata sit. Quae enim delata non est, acquiri non poterit; neque ergo tunc oneribus illius is, qui heres non est, tenebitur. Ex testamento iniusto autem hereditatem deferri non posse certum est; et hic tamen ex ipsa hac ratione illud ab herede legitimo impugnabatur, quod vitium per transactionem initam tolli non potuit. At ais vitium illud incertum esse, et sic pro nullo haberi. Prius concedimus: at posterius non ita se habere videtur. Neque enim omnia incerta pro nullis habentur, sed eo vsque tantum eorum ratio non habetur, donec certa facta sint. Quid igitur obstabit transigenti heredi testamentario, quo minus se heredem non esse, et testamentum iniustum fuisse probare queat:

queat: hoc enim ipsi, quia constitit eum adiisse hereditatem, imponendum erit. Neque enim de tali incertitudine actum fuerat in Noodt. al. *Probab. L. I. cap. ult.* sed de ea, quae nulla ratione tolli potest. Si ita incertum sit aliquid, concedimus id pro nullo haberi. At hic offert se transigens ad tollendam incertitudinem et probandum vitium testamenti; unde hoc probato ab oneribus hereditariis omnino liberari debebit. Neque his obstat, quod *L. XXIX. §. 2. D. de inoff. testam.* transigens scriptus heres sine vlla exceptione semper in solidum teneatur: agebatur enim in eo capite de singulari specie, vbi id admitti poterat; non vero itidem in nostro. In illa enim specie testamentum impugnabatur tanquam inofficiosum; id vero nisi per sententiam iudicis rescindi non poterat; unde certum erat, transactione interposita illum validum mansisse, et sic contra heredem scriptum sine vlla exceptione cum effectu agi posse. Hic vero agimus de testamento, de quo dubitatur an valeat, de quo aliud dicendum esse, nemo negabit.

§. XXI.

Restat vltimo examinanda sententia celeberrimi quondam Groningae Antecessoris P. de Toullieu. supra al. *Dissert. IV. cap. 5.* Putat ille, ICTum aequitate illius sententiae motum in *L. XIV.* aliquantum a regulis iuris stricti recessisse. Verum opus illo refugio non videtur, cum ostenderit etiam regulis iuris hoc responsum conuenire; eoque minus illud admittendum videtur, quia ICTus salva conscientia aequitati cerebri-nae contra tot regulas iuris litare non potuit. Sed examine-mus hanc sententiam paulo adcuratius. Putat nempe v. c. etsi creditores cogi non possint, heredes singulos pro parte conuenire; aequum tamen esse, illis, si velint, actiones aduersus hos pro rata concedi; quia si scriptus heres in solidum conuentus soluisset, a legitimo partem soluti potuisset repe-tere, quin quod magis est, ipsis creditoribus actiones aduer-tus illum competentes cedere; quae ambages omnino tolle-

rentur, si ipsis permittatur directo statim singulos pro rata conuenire, quod sine iniuria cuiusquam concedi poterat. Praesertim cum etiam accidere possit, ut alias creditores ne pro altera quidem parte dimidia suum consequantur. Finge enim, alterum verum heredem soluendo non esse; foro cessisse et sic neque creditoribus soluere, neque etiam actionibus suis creditoribus cedere posse. Vtique hic aequitatem summam postulare, ut his viles actiones concedantur, quia alias alter heres hereditatem ex parte, idque cum damno creditorum retineret. Similia vero vtilium actionum concessarum exempla inueniri in *L. LIII. D. de condict. indeb. L. I. §. 3. D. si pars hered. petat. L. VIII. D. de rei vind. L. IX. D. Usufr. quemadm. cav. L. II. §. 4. L. IX. §. 8. D. de reb. cred. L. II. C. per quas pers. cuiq. adquir.* quarum fundamentum etiam in sola aequitate consistat.

§. XXII.

Verum enimvero nondum satis ex his, quantum quidem nobis videtur, liquet; Ictum hic saluis legibus aequitatem, sequi potuisse. Primo enim actiones viles in speciebus nostrae L. similibus ex aequitate tantum tanquam vltimum refugium conceduntur; Hoc vero modo illis in nostra nullo modo opus est, immo quod magis est, ne salua quidem aequitate ac citra conuenti praeiudicium concedi possunt, quod longe aliter in L. L. paulo ante allegatis se habet; vbi nihil nisi merae ambages ex rigore iuris exstiturae fuissent. His adde, viles actiones proprie ex mente legum concedi, non facile vero ex aequitate contra principia iuris; quod variis exemplis probari posset, si dissertationi praescriptus modus permitteret. Hic ergo nihil aliud monemus, quam actiones in personam contra solas personas obligatas eorumque heredes dari, non ergo alios v. c. hic transigentes, nisi legitima exceptio probetur. Talis vero exceptio neque praesumenda est, et eam hic non obtinere simile prorsus exemplum *L. II. C. de pact. et L. II. C. de hered. vel act. vend.* satis ostendit. vid. §. 17. 19. Ea enim quae ibi asseruntur, etsi v. cl.

cl. de rigore iuris explicare velit; non tamen id vel Imperialis rescripti, quae tamen rescripta maxime omnium aequitatem sequebantur, neque voluntatis emtorum in vtraque L. facta mentio pati videtur. Addit quidem v. celeb. etiam in nostra L. diversas esse ac in allegatis L. L. iuris rationes. Sed vereor vt etiam id ipsi concedi possit. In specie L. II. enim integram hereditatem possidebat emtor nomine alieno, aequae ac in nostra specie transigens partem illius; et vterque auctori suo ad debita hereditaria in totum vel pro parte exfoluenda obligatus erat. In eo quidem differunt, quod emtor pretio dato eam possideat, non vero transigens; et quod illic constet emtorem nomine alieno possidere, non vero hic. Verum quod ad prius adtinet, illud quidem hic nihil omnino ad rem facit; quantum ad posterius autem sufficit, probatum non fuisse, eum heredem esse, quod tamen fundamentum actionis est.

§. XXIII.


Tandem quod ad exempla vtilium actionum §. 21. allegata adtinet; illa prorsus diuersam a L. nostra habent rationem. Nam quae in L. II. §. 4. et L. IX. §. 2. D. de reb. cred. proponuntur ex L. XV. D. eod. tanquam singularia explicari debent; adeoque nunquam multo minus hic in exemplum trahi possunt. L. II. C. per quas pers. cuique adquiritur. continet constitutionem Iustiniani correctoriam, quae itidem extendi nequit. In L. LIII. D. de condict. indebit. meris ambagibus occasio data fuisset; si dominus serui accipientem, illum vero dans conuenire teneretur, et nemini inferretur iniuria, si dans recta via accipientem conueniret. In L. I. §. 3. D. si pars hered. petat. et L. VIII. D. de rei vind. merae tricae fuissent, vtrumque conuenire, cum sic per tria remedia consequamur, quod per vnum fieri poterat. Praeter ea in specie L. IX. D. vsufr. quemadm. cau. ratio non in aequitate, sed potius in §. 7. inf. Inst. de fideicom. hered. reperitur. At in nostra L. neque ratio iuris aderat, neque in me-

ris tricis haec quaestio consistebat. Quin aequitas ipsa postulabat illum qui heres non est, etiam a creditoribus hereditariis non conueniri. Finge enim hereditatem non soluendo, et transigentes ita opinione sua deceptos esse. Si enim hereditas soluendo sit, reuera non est res tanti momenti; cum creditorum tanti non intersit, an ab vno an ab altero herede, vel hoc vel alio modo legitimo suum consequantur, nisi forte verus heres soluendo non sit, quo casu non aliud obtinet, quam si hereditas soluendo non est, et alteruter vere heres est, de quo statim. Si ergo hereditas soluendo non est, aut alteruter transigentium in solidum heres est, aut non. Si alter vere heres est, is creditoribus tenetur in solidum, eiusque quod soluit aduersus alterum pro rata habet repetitionem, adeoque intuitu effectus idem est, an ille solus an vero vterque pro parte conueniatur; neque aliud obtinet, quamuis is, qui in solidum heres est, pro sua persona soluendo non sit. Et si enim, si is solidum non soluerit creditoribus hereditariis, aut etiam foro cesserit, ab altero transigente nihil eo nomine repetere queat: creditores tamen in possessionem bonorum missi in omnia debitoris sui iura succedunt, adeoque etiam in illud, quo ab altero transigente ratam debitorum hereditariorum partem potuisset exigere; Iterum ergo hic effectus idem est; an verus heres in solidum an vero vterque transigentium pro parte conueniatur. At aliud obtinet, si neuter verus heres sit, dum forte aut testamentum posterius profertur, aut propior cognatus superuenit, cui prius hereditas defertur. Hic enim siue heres ille prior et potior hereditatem adeat, siue non, nihilominus tamen verum est, neutri transigentium hereditatem delatam fuisse; adeoque sicuti non adire et adquirere, ita nec oneribus illius subiici eos potuisse; maxime cum honeste hoc praetextu uti possint, et ius illud satis rigidum, ex quo verus heres in solidum ultra vires hereditatis tenetur, minime ad alios extendendum videatur. Non tenetur ergo hic uterque transigens, ut creditoribus soluat; sed ad id potius ut bona hereditaria ipsis in possessionem mittendis relinquat, si nemo adsit here-

dita-

ditatem aditurus. Si vero soluerit vnus eorum creditoribus: sibi imputer, quod soluerit quod non debebat. Saltem ab altero transigente id repetere non poterit, quia is tantum ea pro rata parte ferre tenetur, quae debuit alter. Ita enim intellige ea, quae notauimus §. 6. Hac igitur in specie liquidum est, iniquum etiam futurum, si transigentes simpliciter pro partibus hereditariis conueniantur. Vnde melius haec regula generalis statuitur: Verum heredem conueniri, aut creditores in possessionem bonorum defuncti mitti oportere; nisi transigentes se in aut in solidum aut pro parte conueniri patiantur, ex qua etiam ni fallor nostram L. XIV. explicari posse, ostendimus.

T A N T U M.



COROLLARIA DEFENDENTIS.

I.

Secundum Ius Naturale in contractibus non desideratur aequalitas pretii.

II.

Datur Ius Diuinum positium vniuersale.

III.

Pupillus sine tutoris auctoritate non potest adire hereditatem etsi sit lucrosa.

IV.

Neque potest soluere creditoribus suis.

V.

Filius legitimatus per subsequens matrimonium ad successionem feudalem de iure communi non admittitur.

VI.

Debitor facti ad factum non potest cogi.

VII.

Res vendita ante traditionem perit emtori.

VIII.

Condictio furtiua contra furis heredes datur in solidum.

IX.

Perduellio in solam maiestatem committi potest.

X.

Etiam perduellibus fides est seruanda, si saluum conductum impetrauerint.

ditatem aditus. Si vero soluerit vnus eorum creditoribus: sibi imputer, quod soluerit quod non debebat. Saltem ab altero transigente id repetere non poterit, quia is tantum ea pro rata parte ferre tenetur, quae debuit alter. Ita enim intellige ea, quae notauimus §. 6. Haec igitur in specie liquidum est, iniquum etiam futurum, si transigentes simpliciter pro partibus hereditariis conueniantur. Vnde melius haec regula generalis statuitur: Verum heredem conueniri, aut creditores in possessionem bonorum defuncti mitti oportere; nisi transigentes se aut in solidum aut pro parte conueniri patiantur, ex qua etiam ni fallor nostram L. XIV. explicari posse, ostendimus.

T A N T V M.

COROLLARIA DEFENDENTIS.

1. Polyandria non vero Polygynia Iure Naturali est vetita.
2. Vsuræ modicae moraliter non sunt vetitae.
3. Pater filio exheredato recte tutorem dat.
4. B. F. possessor omnes fructus percipiendi suos facit.
5. Specificatio desiderat bonam fidem.
6. Maritus durante matrimonio est dominus dotis.
7. Causae exheredationis Nou. CXV. expressae augeri nequeunt.
8. Iure Romano non datur probatio semiplena.
9. Clerici secundum Ius Canon. venari prohibentur.
10. Eo iure etiam in praescriptione obligationum B. F. consideratur.
11. Quaestio per tormenta certis casibus iniqua non est.
12. Appellatio in criminalibus lege generali abrogata non est.
13. Imp. Rom. Germanicum certo respectu est systema rerumpublicarum.
14. Principes Imp. in causis eorum priuatis non obligantur Iure Romano.
15. Prima origo feudorum a Romanis est.
16. Feuda solis non sunt feuda.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE ORNATISSIMO
DEFENDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Virtutem, Prudentiam et Sanitatem ac robur corporis tanquam tria maximâ dona, quae a Diuino Numine mortalibus concedi possunt, lure meritoque commendat Illustris Wolfius. Pro omnibus his gratias Te Deo omnipotenti humili ac deuota mente agere oportere nunquam obliuiscaris. Certe enim egregijs animi ingenii-que dotibus inter omnes qui in hac academia studiis operam dant emines; Neque ita vt multi solent neglectis literis humanioribus ad studium Iuris accessisti: multisque et eximijs speciminibus praeclaræ tuæ indolis dedisti documenta. Mores tui suauissimi et cum insigni elegantia coniuncti, vt ab omni austeritate ita non minus ab ea quae inter iuuenes saepe grassari solet licentia longissime remoti fuerunt, ac effecerunt vt probitatis studiosi simul te diligere et exemplum tuum imitentur. Valerudine initio minus prospera vsus es; quam tamen indies in melius se confirmare laeti cernimus. De hisce ac multis alijs animi ac fortunæ beneficijs non possum non tibi ac splendidae familiae tuæ gratulari. Perge porro strenue in ea quam coepisti virtutis via, ac summo creatori confide, fore, vt pro meritis tuis digna tibi olim gratia referatur. Quod restat me tuæ amicitiae in posterum enixe commendo.

Dabam Duisburgi d. XII. M. Augusti A. MDCCLXIV.

Ho.

Horat. Carm. lib. 1. od. 1.

Multos castra iuuant, et lituo tubae
 Permissus sonitus, bellaque matribus
 Detestata. Manet sub ioue frigido
 Venator, tenerae coniugis inmemor:
 Seu visa est catulis cerua fidelibus;
 Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
 Me doctarum hederæ præmia frontium
 Diis miscent superis: me gelidum nemus,
 Nympharumque leues cum iatyris chori,
 Secernunt populo;

**
**
**

Freund, laß uns Wissenschaften ehren,
 Womit der Weise sich erhebt.
 Uns sollen muntre Musen lehren,
 Wie man vergnügt auf Erden lebt.
 Sie werden unsre Heften bilden,
 Sie führen unsern Geist auf Tempens Lust, Gesilden.

Wenn Harpay bey dem Golde siset,
 Der Stuker in den Spiegel schielet,
 Der Krieger in den Schlachten schwiket,
 Der Buchrer in Procenten wühlet,
 So wolken wir bey todten Weisen
 Uns drey-mahl glücklicher, als selbst den Mogul preisen.

Bald wird ein Dichter uns vergnügen,
 Der rührend und erhaben singt.
 Bald soll Musie die Zeit betriegen,
 Die Wollust in die Herzen bringt.
 Bald die Geschichte alter Zeiten
 Uns auf des Alterthums entfernten Schauplatz leiten.

Bald

Bald soll die Wissenschaft der Rechte,
 Die Kunst, die von dem Himmel kam,
 Und für das Menschliche Geschlechte
 Die Waage in die Hände nahm,
 Die schöne Kunst, die wir verehren,
 Uns die Gerechtigkeit von Gott und Menschen lehren.

Da schieht der Gram aus jedem Busen,
 Wenn ihn die Wissenschaft nicht schieht,
 Bekant mit jedem Reiz der Musen,
 Bleibt uns ein fröhliches Gemüth,
 Und wen die schöne Künste leiten,
 Den wird Zufriedenheit der beste Gast begleiten.


Das wünscht Dir für Dein ganzes Leben
 Mein Herz, ein Herz voll Redlichkeit;
 Es wolle Dir ein Denkmahl geben,
 Wie Deine Wohlfahrt es erfreut;
 Drum will es Diese Wünsche stamlen,
 Da sich die Musen heut zu Deiner Ehr versamlen.


Diese Zeilen sind es, mein Freund, die
 Ihnen zum Denkmahl unserer Freundschaft,
 der zärtlichsten Freundschaft,
 welche in Brüder Herzen gehegt wird,
 widmet

Justus Diet. Schlechtendall,
 D. A. G. B.









5

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS,
 QVA,
 CONTROVERSIAM INTER TESTAMENTARIAM
 ET LEGITIMAM HEREDEM ORTA,
 EAQUE TRANSACTIONE SOPITA,
 QUEM CREDITORES CONVENIRE
 POSSINT,
AD L. XIV. D.
 DE
TRANSACTIONIBVS
ANNUNTIATA DEO
 PVBLICE DISQVIRVNT
PRAESES
FRIDERICVS GOTHOFR.
I. A. F. SCHLEGTENDAL
 IVR. D. ET P. P. O.
 ET
DEFENDENS
IOANN. ADAM. LEONARD.
VON DE WALL
 VESALIA-CLIVENSIS
 DIE M. AVGVST. A. MDCCLXIV.
 H. L. Q. S.
 ~~~~~
 DVISBVRGI AD RHENVM
 TYPIS FRANC. ADOLPH. BENTHON, ACAD. TYPOGR.